



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XVIII. De infirmo Puero, qui per preces B. Meinulphi restitutus fuerat
pristinæ sanitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XVIII.

De infirmo Puero, qui per preces B. Meinulphi restitutus fuerat pristinae sanitati.

ERat quidam Clericus nomen Sifridus in oppido Geseke, cujus Fratris Filium tantus membrorum dolor invaserat, ita quod de eo nulla spes fuerat sanitatis, Pater verò ipsius multas misérias in eo animadvertens magis desiderabat eum defunctum esse quam viventem in agitudine, & quia idem Pater simplicis ac bonæ vitæ fuit (prout mihi optimè constat, qui virum novi) à Divina consolatione nequaquam fuerat derelictus, nam cum de sancto MEINULPHO pio Patrono sæpè dicti Monasterii relatum erat, quod potens esset apud Dominum DEUM, accepit memoratum ejus infirmum filium, & dicto adduxit Monasterio, ubi dum eundem debilem ac sospitate alienum ante altare B. MEINULPHI præsentavit, sanum de altari reportavit, sicque factum fuit, ut is, qui pridem infirmum suum Filium tristis adduxerat Monasterio, jam eo per preces B. MEINULPHI sano facto gaudens & lætabundus ad propria cum ipso remeaverit.

CAPUT XIX.

Qualiter Spoliatores Monasterii B. Meinulphi molestias vice versa recipiunt.

QUOD Dominus DEUS Judex justus in spoliatores & invasores Monasterii B. MEINULPHI vindex invenitur, magna ex parte per hoc convinci potest. Nam ex quo almus Christi Confessor prædictum suum Monasterium multis suis laboribus construi fecit, insuper & ipsum de bonis sui regalis patrimonii fundavit & dotavit, ac Christum solum hæredem bonorum constituit, prout in gestis ipsius manifestè reperitur, idcirco Dominus DEUS noluit, ut præfata bona sic, ut præfertur, in hæreditatem tradita absque punitione manus invaderet aliena, & ob id etiam prænomi-

nata